

cipit interdum Dominus per Pseudoprophetas. In Bibliis 1532. 1540. 1546.

Censura, Licet Scriptura frequēter his verbis Seducit, Decipit, ac similibus vta-
tur : tamen interpretis partes erant, mo-
nere Lectorem, Deum nō esse authorem
mali , nec seductionis , nec deceptionis:
sed Scripturam indicare tātum diuinam
permissionem.

*Deum non esse authorem mali, confessum est
inter pios omnes axioma. Iudicia Dei in meras
permissiones transferre , neque Scriptura illis
permittit, neque sani iudicij homines licitum es-
se putabunt. Neque enim tantū permittit Deus
quū dicit, l. Reg. 22. c. 20, Quis nā decipiet mi-
hi Achab? Et diabolo suum obsequium offeren-
ti præcipit ac mādat, Egressere, &c: sed iudi-
cis potestatiem exercet: quemadmodum & Pau-
lus ostēdit. 2. Thessa. 2. c. 11, ubi tradit Deū mit-
tere efficaciam erroris, ut mendacio credāt qui
noluerunt obedire veritati. Superciliose defi-
niunt cēsores, permissiue id totū accipi: at Scri-
ptura reclamat, dicens, Spiritum malū fuisse à
Domino, qui Saulē ad malū impulit. l. Sam. 16.*